



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

6. Seditio populi in magistratum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](#)

tulo, M. Antonio, C. Cassio, Bruto, Sext. Pompeio, aliisque, qui omnes montibus illis, quos congererant, id est conatibus temerario ausu suscep-
tis oppressi, poenas dederunt.

VI. (f) Sexto, non injuria θεους χειν, seu cum Dijs pugnare dicuntur, qui per seditiones & motus intestinos, Principum ac Magistratum, qui Dij nominantur in SS. litteris, autoritatem, opes, eminentiam, postremo vitam eversum eunt; qui vel suis armis, quae injuste in superiores arripuerant, confossi intereunt; vel à populari multitudine, quam ipsi ad sceleris Societatem & ministerium exciverant, cum res è voto non succedit, opprimuntur. Fulmen Jovis in Gigantes detortum, est vindicta divina à justissimo Deo de ijs sumpta, qui rebelles & contumaces vel in suam majestatem, vel in legitimè præpositos improba moliuntur ac machinantur.

Hic adverte ansam Gigantibus arma in cœlum moliendi præbuisse superum inter se discordiam, quare defuncti hoc periculo aram inter Astra statuere, flore ac lemniscis redimitam, ardente flamma; in quam ita lusum:

Anguipedes postquam, perjura caterua, gigantes
Montibus exusti succubuere suis.
Hanc aram statuere Dij, cum mutua pacti
Foedera, juratas conservere manus.
Si prius in superis concordia tanta fuisset:
In Superos nullus verteret arma Gigas.

S Y M B O L V M X.

Lycaon in lupum abit: ejus filia Callisto in ursam.

1. & 2. Metam.

Ethicè.

1. Homo similis bestiæ.
2. Tyranni imago.
3. Gulosus & avarus.
4. Physiognomia causam præbuit Poëtis fingendi metamorphoses.
5. An fiat mutatio hominis in bestiam?
6. Quid intelligatur per has metamorphoses Poëticas?
7. Callisto cur in ursam?

Fuit vir hic Arcadiæ rex, qui ob impietatem, perfidiam, inhospitalitatem in lupum transformatus est. Res ita contigit. Jupiter Deo-

(f) Seditiones in magistratum.

F 2

rum